

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1763**

[Einführung]

[urn:nbn:de:bsz:31-295084](#)

## C A P U T X.

### C O M I T E S F R I B U R G E N S E S.



#### §. I.

Ilustris Comitum Vracensium profapia, ex <sup>Comites</sup>  
qua Friburgenses & Furstenbergenses <sup>Uracen-</sup>  
<sup>fes.</sup> Comites prognati, nomen gentilitium  
traxit à Castro *Vrach*, quod ad rivulum ejusdem nominis,  
Friburgum inter & Villingam, in Nigra Silva olim conspicuum  
fuit, non confundendum cum Wirtenbergico alio, *Aurach* quod  
hodie vocant. Utrumque castrum unus forte Comes possedit.  
Posterius An. 1254. per Furstenbergenses ad Wirtenbergicos  
translit. (a)

In gente hac Uracensi Egenonis, contracte Egonis, nomen  
obvium est. An. 1181. *comes Egeno de Uren* praesens fuit, cum

E e 3

(a) SATTLER *Beschreib. des Herzogth. Württemberg.* Part. I. pag. 113.

Udalricus de Novo Castro feudum a Präposito Solodorensi acciperet; (b) eodemque anno Comes de Urach, Friderici I. Imp. Diploma Denckendorfensi Ecclesiæ apud Eslingam datum, testis signavit. (c) An. 1185. inter Proceres Sueviæ, Burchardus Comes de Hoehenberc... *Egeno Comes de Urach* in Charta Friderici, Ducis Sueviæ, Monasterio de Salem data, recensentur. (d)

Tum vero ex Militum vel Ministerialium ordine quoque vixit *Gerundus de Urach*, Diplomatis Friderici I. Imp. fundationem Monasterii Adelberg. confirmantis, A. 1181. testis. (e)

An. 1215. *Comes Egeno de Urac* & filius suus testes leguntur in Diplomate Friderici II. Imp. apud Ulmam exarato pro Monasterio Laurishamensi. (f) Egeno hic idem est, qui Agnetem Zaringicam, Bertholdi IV. Ducis filiam, duxerat uxorem, (g) ex qua natus ei est filius cognominis, cuius hic quoque fit mentio.

- (b) Tschudii *Chron. Helv.* Tom. I. pag. 90.
- (c) PETRI *Suevia Eccles.* pag. 262.
- (d) HERRG. *Geneal. Habsb.* Tom. II. pag. 196. sq.
- (e) PETRI *Suevia Eccles.* pag. 2.
- (f) Idem l. c. pag. 539.
- (g) Conf. supra Cap. V. & VII.

## §. II.

**M**ortuo itaque Bertoldo V. ultimo Zaringiæ Duce, Agnetis  
fratre, An. 1218. de bonis ab eo relictis, allodiis atque feudis,  
certatum est. Nonnulla Fridericus II. Imp. nonnullæ Teccæ  
Duces, Zaringensium agnati, alia noster Egeno, alia Kiburgensis  
comes, occupaverunt. Tutiorem partem elegerunt Teccenses,  
qui Imperatori, ut Sueviæ Duci, pecuniam offerenti, aurem  
præbuerunt. At paulo post filius Egeno universa Zaringiæ bona,  
non solum quæ vi & armis, sed & quæ ære comparaverat Cæsar,  
repetiit, unicus, ut sibi videbatur, legitimus eorum per matrem  
heres. Nescio quid Cæsarem Fridericum denique moverit, ut  
armis odiisque depositis, honestissimam pacem Egenoni concederet.

Facta Ulmae reconciliatione, Fridericus Hagenoam delatus,  
VIII. Id. Sept. A. 1219. ad civitates suas earumque scultetos  
literas dedit, ut significaret eis, Comitem Egenonem de Urach,  
consanguineum suum, in gratiam se recepisse; homines cujuscunque  
conditionis, durante bello ex civitate Friburg. aliisque locis ad se  
transgressos, Egenoni ejusque Ministerialibus restitui jubens. (h)  
Paucis post diebus, XIV. Calend. Octobris, omnis de successione  
Zaringica lis Hagenoæ quoque ita composita est, ut Egeno bona,  
quæ a Teccensibus Cæsar coëmerat, dono; alia, quæ donare

Zaringiæ  
Ducum  
heredes.

(h) Cod. Diplom. Bad. ad A. 1219.

ille non poterat, in feudum acciperet perpetuum. Quæ præterea Fridericus ex eadem hereditate tenebat, non tradita quidem sunt Egenoni, sed benigne promissa.

### §. III.

Egino  
pater &  
filius.

**A**n. 1220. *Egino senior Comes de Urach, & Egino Comes de Urach, Dominus Castris de Friburc,* id est, pater ac filius, peculiari uterque Instrumento donationem curtis & molendini, Monasterio Tennebacensi a cive quodam Friburgensi factam, confirmarunt. Pater de Friburgo ita: „Civitas ab illustribus „Ducibus Zeringie, progenitoribus uxoris mee, Domine Agnetis „Comitissæ, cuius ego jure matrimonialis confortii Advocatus „existo, ab antiquo fundata esse dignoscitur.“ Filius autem his utitur verbis: „Civitas ab avis & proavis nostris, illustribus „Zeringie Ducibus, ab antiquis temporibus fundata esse „dignoscitur.“ (i)

In eodem Instrumento *Domini & Avunculi sui Duci Bertholdi*, atque hereditariae suæ successionis, mentionem filius facit. Filius itaque, non pater, novum *Domini Friburgensis* titulum jure materno assumpsit, unde eidem adscribenda est Charta anni sequentis, data Friburgi, qua *Egino Comes de Ura, Dominus Castris*

(i) Ex Tabular. Abbatiae Tennebac. infra in Cod. Dipl.

*Castri de Friburc*, Ebirhardo ministeriali suo de Hasila permisit,  
ut, quos vellet, homines proprios Abbatiae Tennebacensi donaret.

## §. IV.

Eginonem patrem ad An. 1229. vitam protractasse, <sup>Egino.</sup>  
vocabulum *junior*, quo filius ejus Egino ad illud usque tempus <sup>nisi I.</sup>  
utitur, nobis persuadet. Superstes ei fuit uxor, Agnes Zaringica,  
quae A. 1236. *Comitissa de Ura & de Friburc* dicta cum filiorum  
suorum assensu, post mariti fata, curtis proprietatem in Villingen  
Sanctimonialibus donavit. Peperit autem haec Agnes, præter  
Eginonem juniorem, Conradum atque Bertoldum, viros in  
ecclesia illustres. Sunt, qui Bertoldum V. Zaringensem, in Regem  
Romanorum An. 1198. eligendum, duos ex sorore sua Agnete  
nepotes, Cunonem & Bertoldum, Electoribus obsides dedisse  
scribunt, religione sacramenti deinde obstrictos, ut ex custodia  
Coloniensi dimissi cœnobia ingrederentur. Cunonem Praedicatorum  
Eslingæ, Bertoldum Salernitanum, Sueviæ monasteria, intrasse  
tradunt. (1)

De Conrado insigne testimonium extat in Diplomate <sup>Cohradus.</sup>  
Friderici II. Imp. quo Egenonem Comitem de Hura, ob dilectionem

(1) Ita MICHAEL PRAUN, Confil. Badenf. in *Badischer Heerschild* Ms, in  
tabulario Bada-Durlac. & WOLLEBIUS in *Chron. Würtemb.* Ms.

& favorem singularem, quem erga fratrem ejus *C. Portuensem Episcopum S. R. E. Cardinalem*, gerebat, in gratiam suam recepit. Literæ hæ, uti ex Indictione patet, An. 1226. datae sunt, apud Burgum S. Donini, Ducatus Parmensis oppidulum.

Conradum hunc Pontifex A. 1224. ex Italia in Germaniam miserat, ut crucem prædicaret; unde Coloniam profectus Fridericum Comitem de Isenberg & complices ejus, qui Coloniensem Archiepiscopum obtruncaverant, anathemate percussit, multosque per Germaniam cruce signavit, Terræ Sanctæ opem ut ferrent. (m)

Bertol-  
dus.

Ad Bertoldum, Conradi fratrem, quod attinet, is inter Monasterii Tennebac. Abbates An. 1215. occurrit. Nititur hoc assertum fide Anonymi in Vita B. Hugonis, Ord. Cisterc. qui Bertoldum istum Abbatem *filium sororis Duci de Zeringen* diserte vocat, ejusque patrem dicit Comitem de Urach. Illustrem Bertoldi prosapiam, Fridericus II. Imperator in Diplom. Hagenoæ IV. Id. Mart. 1214. Tennebacensibus dato; nec non Hermannus & Fridericus, Marchiones Badenses, An. 1215. indicant, quando *consanguineum* suum dilectum eum appellant. Hic ipse Tennebaco Lucellam deinceps translatus videtur Abbas. (n)

(m) GODOFREDUS MONACHUS ad A. 1224. & seq. apud FREHER. *Scriptor.*

*Rer. Germ. Tom. I. pag. 393. & 395. Adde Chron. Auguſt. ibid. pag. 520.*

(n) BERNARDINI *Fasti Lucell.* pag. 161. sq.